

sistat et habundet. benedicti domino qui uocauit uos ad suum regnum &c. Per decursum Arius nominatim accusatur, et Sabellius dicitur tam impius confusor, quam ille diuisor. In v. etiam 14. Job. I. non habitauit, sed habitabit legitur. Ultima praeclari Homiletæ sunt: a gratia baptismatis expiatis coheredes sibi in regni celestis gloria preparent &c.

Pag. Cod. ult. adscriptum: *Presentetur (hoc Scriptum) Magistro Thome haslpach, et rapiantur ab eodem epistole Sancte hyldegardis. Rapere est currente calamo absque multo elegantiae studio aliquid transcribere. Inde Rapiarium Volumen Collectaneorum. Vides, quo modo Codices Virorum literatorum inter se communicatione multiplicati fuerint.*

CCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 183. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus, rubricisque distinctus est *Epistolare D. Hieronymi*, initio ducto ab *Epistola ad Damasum Papam*, quæ est Edit. *Vallarsf. Opp. T. I. col.*

*Mundi post maria scriptori sancta maria
Pro spe redde uices, tua proles sit mihi merces.*

Fol. 48. p. 2. Epistolæ in Edit. CII. ad Augustinum deest nobis ultima Particula: Misit mihi temeritate solita &c. Fol. 49. habetur Augustini Epistola ad Præsidium, quod in Hieronymi negotio est; ceterum in Edit. Maur. Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

*44. n. XVIII. et incipit: Et factum est in anno, quo mortuus est &c. finiturque, ut in Codd. mss. observante Vallarsio fieri solet: auribus tantum studeamus et lingua, reliquis, quæ in Edit. rite sequuntur, per modum separatae Epistolæ fol. nobis 8. positæ. Fol. 26. legas: Epistola sacre sententiae theodocii. Nihil hæc asceticorum Ἀξιωμάτων Congeries ad Hieronymum. Incipit: Perfectus homo est qui se ipsum cognouerit. &c. Varia de Oratione, Anima, Mundo, Caritate fraterna, et ejusmodi e PP. Diæti post Isidorum Hispal. lecta; nam quod ait Noster: *Naui in pelago propter nimias undas barca in suo suscipit gremio. Ubi autem approximauerit portum, reddet uicem barca nauis quam accepit in pelago &c. ex ejus Orig. L. XIX. c. 1. decerpfit. Quis uero Theodocius hic fuerit, qui, quæ collegit, beatissimos flores adpellat, non inuenio. Fol. 33. p. 2. Ad Paulam et Eustochium spurius Sermo de Assumptione B. Mariæ, merito remissus a Vallarsio ad T. XI. col. 92. qui illam corollam adpensam non habuit:**

Opp. illius est T. II. col. 168. n. LXXIV. Epistola sequens ejusdem ad Hier. quæ est Vallarsii CX. col. 723. nobis principio mulctata ibi incipit: Cur itaque conor contra tractum &c. Fol. 65. spuria ad Tyrasium, rejecta a Vallarsio

sio ad T. XI. col. 261. Fol. 70. in Epistolarum censu Liber contra Vigilantium, prout extat Vallars. T. II. col. 387. Hunc sequitur spuria ad Oceanum de Vita Clericorum, ut Vallars. T. XI. col. 270. Fol. 164. rursus de Homine penitente & adhuc in seculo commorante spuria, ut T. cit. col. 230. Hanc excipit Epistola S. Jeronimi presbiteri ad demetriadem virginem christi. Non illa genuina, quae incipit: *Inter omnes materias &c.* et legitur Vallars. T. I. col. 969. sed illa: *Si summo ingenio &c.* quae diu inter Hieronymianas habita a fusti Pelagii est, et remissa in T. XI. Vallars. col. I. Epistolarum numerus, accensis iis, quae fingillatim indicavi, ad LXXI. pertingit. Nihil in iis ἀνεκδοτον. In una alterave genuinarum ultima commendationis Formula deest. Lectio fatis castigata est. Imo castigationis studio putem in I. ad Damasum Epistola Librarium nostrum pro Regnorum et Præteritorum posuisse Regnorum et Prophetarum, quod significatum τῶν Παλαιολογομένων non esset adsecutus.

Addam Ἀπογραφοῦ Chartae Libertatis eleganti ejusdem Sec. manu pro more, quo Documentorum suorum diuturnitati Monachi prospicere solebant, Codicis calci adjectum. In nomine sanctæ et indiuiduæ trinitatis. Aldeprandus dei gratia siticensis monasterii dictus abbas cunctis christi fidelibus huius pagine lectoribus uel auditoribus tam futuris quam presentibus innotescere cupimus. qualiter quidam homo nomine Michael natione latinus (I-

talus) arte uero cementarius. tempore antecessorum nostrorum de longinquis prouintiis adueniens. iam diu arte sua nostro monasterio plurimum profuit. unde et ab eisdem in predio ecclesie nostræ est substitutus. data domo et terra. Qui uidelicet M. quandam feminam nomine Maethiltb propriam domini Alberti de wifelberch ecclesie nostræ aduocati accepit in uxorem. eandemque cum facultatibus suis a prædicto A. ad omnimodam libertatem redemit. Transactis autem aliquibus annis idem M. secundo cum facultatibus suis a præfato A. liberos suos quos ex eadem uxore deo donante genuerat ea conditione redemit. ut idem A. super altare S. Mariæ propria manu eos tali libertate donaret. quatenus unum quodque eorum ab ineunte seruitutis censum trium nummorum annuatim ecclesie nostræ in die purificationis S. Mariæ persolueret. Sane prædictum censum non solum ipsi uerum et omnis posteritas eorum ad testimonium libertatis sue præfatus A. ecclesie nostræ aduocatus eternaliter persoluendum statuit. ne forte aliqua spiritualis secularisue persona per potentiam eos ulla seruitute subiciat aut opprimat. Quod ut uerius credatur et a successoribus nostris incommutatum seruetur. idem aduocatus noster A. sigilli nostri impressione. et testibus qui huic diffinitioni presentes aderant. corroborari monuit. nosque id fieri cum certo consilio fratrum nostrorum uolenti animo annuimus. Testes ergo huius rei hi sunt. Maroldus tunc temporis armarius (Ab-
Ar-

Armario feu *Scriniio*, *Librorum Custos*, feu *Tabularii Praefectus*, five *Secretarius Monasterii*, item *Cantor*, qui *Libros Chori* promat). *Wirnt diaconus*. *Herbordus sacrista*. *Seculares uero*. *Meinbardus de nideke*. *Rudegerus*. *berbardus*. *Ernist*. *Hiltiprandus*. *omnes de wifelberch*. *Wikerus de Laibach*. *Hartmannus de Rifensfaeyn*. et alii quam plures nobiles et mediocres. Codex igitur Coenobii *Sitticensis* Ord. *Cist.* in *Carniolia* fuit, cujus *Abbas II. Aliprandus*, dictus etiam, ut alio Codice *Augustinum de Civit. Dei* continente notavi, *Folkmandus*, praefuit inter annos 1150—80.

CCCVII.

- R.7 Codex membranaceus lat. Sec. XV. tripartitus Foll. 405. quorum 139. Partem I. 105. Partem II. 161. Partem III. conficiunt, f. max. elegantissime perscriptus, titulis litera unciali diversicolore auroque speciosus, varia D. *Hieronymi* complectitur Opera, donoque oblatum est *Carolo VI. Imp.* a *Viro* eruditissimo *Apostolo Zeno* a. 1723. dum *Poetam*, *Historicum*que *Aulae Caes.* ageret. Fol. 1. legas: *Vt Ordo In Epistolis Beati Hieronymi Habeatur. Tripartienti Sunt. Primus Contineat Epistolas Ad Viros Destinatas. Secundus Epistolas Ad Feminas. Tercius Epistolas Et Tractatus Invektivarum. Et Hoc Ordine Sunt Famosissimi Libri Sancti Iustini Padue. Tà Sancti Iustini merito a manu secunda adpicto e cor-*

recta sunt; sermo enim est de celebri S. *Iustinae* Coenobio, cujus Codices *J. Phil. Thomasinus* in *Biblioth. Patav. et Bern.* *Montefalconius* in *Bibl. Biblioth. Mss.* enumeravere. Noster igitur *Pata-vii* descriptus videtur procurante nobili quodam viro, cujus Insignia in splendide picturatis Fol. 2. marginibus comparent: Leo videlicet ruber in superiore campo aureo gradiens, inferiore campo caeruleo Liliū aureum inter duas ejusdem metalli Stellas praeferente. Inde vero ad nobilissimam *Mathiae Corvini Hung. Regis* Bibliothecam devenisse ex Insignibus Thecae impressis conjicio, rursusque *Venetias* relatum ab infelici illo *Ludovico Gritto* non indocto homine, quem *Solymanus* captae anno 1529. *Budae* Praesidem imposuerat. Video enim *Bibliothecae criticae Rich. Simonis* T. III. p. 416. in manibus hujus viri fuisse Catalogum ms. *Manuscriptorum Hebraicorum et Syro — Chaldaicorum ex Mantua, Budaeque Venetias asportatorum*, suspicorque, *Grittum* neque *Graeca* et *Latina*, minime vero Codicem in *Veneta* ditione exaratum neglexisse, unde redux per varios, ut fit, casus in *Zenorum* familiam immigrare potuit. Atque haec conjectare liceat. Et jam ad Codicis, cujus Exemplaria *Pata-vina* neque *Martianaeus*, nec *Val-larsius*, quod sciam, memorat, interiora veniamus. Titulo supra exscripto subjunctus est Index *Epistolarum* videlicet ad *Viros* datarum, numero LXXIX. adpositis